

deo creante animam; & infundente non celo cum sua anima intellectuali producente quoniam ordo providentie eterne est ut per superiora regatur & moueantur inferiora omnia: anima autem humana cum libera sua uoluntate ordine nature omnia corpora celestia antecellit. quod non esset si illa essent animata substantia intellectuali quae cum esset superior & nobilior anima humana seclusa gratia animam humanam regeret & gubernaret directe: quia sicut corpora superiora directe regunt inferiora: ita superiores intelligentiae directe regunt & gubernant inferiores nutu dei maxime corporibus unitas. F. Dicerent forte isti quod astra & celum in quantum mouentur ad generationem horum inferiorum intendunt intellectum humanum in genere cause finalis non in genere cause efficientis. Astro. Ita uidentur saluare dicta sua sed in ueritate non saluant salua reuerentia: quia agens omne agit propter finem: & quid est aliud producere causas facientes pro fine quam finem. ordine. n. naturae introductis dispositionibus facientibus pro introductione formae a natura intente introducitur illa forma necessario: cum ergo a celo mediante anima sua quae per te est intelligentia unita celo introducatur omnes dispositiones facientes pro anima quam intendit illa intelligentia non intendendo altiore formam sed sibi similem uel inferiorem ergo intenderetur anima humana a celo cum forma sua intellectuali necessario tanquam intentum ab agente per propriam speciem. hoc autem est falsum quia licet deus non absoluta necessitate creet animam humanam sed possit non creare etiam stante introductione dispositionum naturalium tamen humana anima non educitur de potentia materiae naturaliter sed deus creat & creando eam infundit & ideo cum possimus saluare animam celi aliter quam dicere ipsam esse substantiam intellectuam melius est o fidelis effugere errores & ideo attende quia ponemus fundamenta ex quibus patebunt faciliter responsa ad argumenta probantia celum ab intelligentiis moueri uel intelligentia. F. Dixisti si recte memini argumentum aristotelis recte concludere celum esse animatum sed non anima intellectualia per te nec sensitua: rogo te non differas dicere si est animatum secundum principia tui raymundi: & qua anima magno desiderio affectus sum hoc audire Astro. O fidelis supra tibi persuasum reliquisti